PAUCA DE PUBERTATE FOEMINARUM DISSERTATIO INAUGURALIS...

Federico Cazzaro

PAUCA
DE PUBERTATE FOEMINARUM
Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

RITE CONSEQUENDAM

OFFERT

CAZZARO FRIDERICUS

DE AGRO PATAVINO

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

1846

CAZZARO PAULO

SACRO DEI MINISTRO

RELIGIONE CULTU DOCTRINA

PRAESTANTI

IN NEPOTUM EDUCATIONE FAVENDA

NULLI SECUNDO

HOCCE

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

NEPOS FRIDERICUS

D. D D.

DE PUBERTATE FOEMINARUM

Jam paucis abhinc mensibus pluries ad memoriam revocabam, quod ad Medicinae Lauream rite consequendam, uti leges jubent accademicae, aliquid ipsam medicinam spectans erat mihi publici juris faciendum; et quamvis innumera procul dubio essent argumenta de quibus nonnulla facili negotio explanari possunt, nihilominus propter mei sat cognitam ingenii insufficientiam usque adhuc inter unius alteriusve selectum anceps versatus sum Pluries ad foeminarum pubertatem animum adverti, eam in suis tum physiologicis, tum pathologicis mutationibus, nec non in quaestionibus medico-legalibus circa hanc adlatis considerando, et hoc argumentum meis viribus prae caeteris adcomodatum videbatur. De istiusmodi aetate denique statui pauca exarare, et eo magis quod magni sunt momenti, mea saltem docente experientia, et omnibus manifesta signa, quae hanc vitae epocham concomitari solent

Non mea insuper exhibeo, sed quae tantum in meorum studiorum curriculo hinc inde a summis rei medicae scriptoribus colligere potui.

Pubertas est illa vitae aetas, qua omnia organismi systemata rapide evolvuntur, perfectionisque fastigium attingunt, functiones animales omnes speciatim activiores

evadunt, et in utroque sexu vita propagativa manifestatur, cujus influxus a facultatibus tum psychicis tum corporeis persentitur. Dum antea infantes inter se propter formas externas, eorumque animi studia facili negotio confundi poterant, dum autem ad pubertatis periodum pervenerunt, illico solemnes in ipsis contingunt mutationes, atque peculiares characteres animadvertuntur, qui sane mares e foeminis sejungere valent.

Relate ad vitae periodum, qua prima advertuntur pubertatis signa, observandum est, quod haec quam maxime differre conspicitur pro vario clymate, temperamento, constitutione, vitae ratione etc. — ita ex. gr. incolae fervidi coeli regionum citius pubescunt; quare in plagis calidioribus Africae, Asiae, Americae plerumque in nono, vel decimo ad summum anno, in meridionalibus Europae partibus, in Gallia, Hispania, Italia nostra duodecimo, decimo quarto, decimo sexto perraro hac pulcherrima aetate salutantur puellae. Contrarium evenit in illis, quae Sueciam, Moscoviam, Daniam aliasque polares regiones habitant; in hisce enim totius corporis evolutio retardatur, et vix decimo octavo aut vigesimo anno signa pubertatis in scenam prodeunt. Praeter clymatis varietatem, temperamentum, constitutio, vitae genus etc. summum habent influxum in hujus aetatis manifestatione. Hinc temperamentum sanguineum-irritabile, robusta et sat perfecta corporis constitutio, victus lautus, liquorum ardentium abusus, educatio mollis, frequens cum individuis alterius sexus consortium, nonnullorum librorum lectio, nonnullarumque artium cultura ad praecocem reddendam pubertatem valdopere conspirant.

Dum ingenua puella in nostris regionibus ad tertium circiter aetatis suae lustrum pervenerit et limina pubertatis ingreditur, tunc nobis consideranda sponte offert quamplurima argumenta hujus vitae periodi dignitatem comprobantia. Praeprimis hanc faustam et auspi-

catam aetatem ostendunt lineamenta faciei, quae animum graviorem, ejusque diversus motus exprimere valent, labia purpureo, et genae roseo colore perfunduntur, oculi amore micant, circulatio magis energica, et torax magis firmus fit, in ipso quoque mammae evolvuntur; perspiratio cutanea odorem redolet aromaticum, acutum, illi moschi non admodum dissimilem Ossa pelvim constituentia adaugentur, femora dimoventur superius, ad genua appropinquantur, genitalia externa pilis ornantur, sensibiliora fiunt, et interdum clitoris specialim eriguntur, mucosae secretio in ipsis augentur et proprium sumit odorem totius corporis forma uno verbo majorem acquirit venustatem. Vox gravior et plenior redditur, voluptatis desiderium, proclivitas et amor erga alterum sexum animadvertuntur, facultates intellectuales majorem attingunt perfectionem, memoria est facilis, sed non tenax, imaginatio fervidissima, judicium praeceps, fallax et aliquando erroneum.

Ast vero inter diversas Foeminarum organismi mutationes ad pubertatis epocham prodeuntium, quae magni est momenti pro tuenda earumdem valetudine, quae summum medentis meretur attentionem, est menstruatio, variis insignita nominibus. ita vocatur *fluxus menstruus, cursus lunaris, purgatio menstrua, menses muliebres, catamenia*

Phaenomena nonnulla partim a sanguinis congestione in utero enata, partim ab ejus systematis nervosi mutatione pendentia, catameniorum in puellis apparitionem praecedunt Serosus humor primitus ab osculo vaginali ruit, qui plus minusve perdurans sanguinis menstrui profluvium praenunciat Saepe saepius dolores lumborum insurgunt, qui anteriora versus protenduntur ad uteri regionem, ad inguines, ad internam coxarum partem, una cum distensionis ponderisque sensu, et in nonnullis veri dolores cohlici evolvuntur, subsequitur virium gene-

ralium et speciatim crurum delassatio, ventris inflatio, quae generatim a nimia sanguinis quantitate in vasis uterinis, mesentericis, hypogastricis retenta ortum habet, et est proximum fluxus indicium. perraro sine enumeratis molestiis foeminae in prima incurrunt catamenia. Hisce omnibus adduntur nausea, fastidium, polydipsia, anorexia, animi morositas, rerum oblivio, noctes inquietae, et somnis terrificis perturbatae, vertigines recurrentes, sensuum allucinationes, pulsus celeres, frequentes, rubor genarum haud constans, et aliquando maculae rubrae in facie comparent, praeterea ad pudenda externa vasa turgescunt turgescunt quoque mammae propter ipsorum cum utero consensum, doloribusque punctoriis adficiuntur. Sensus ipse corporeus exaltatur, et hoc e variis adpetentiis atque adversionibus manifestatur. Talibus phaenomenis, quae apud nonnullas tantummodo prima catamenia praecedunt, apud alias periodice ipsa concomitantur, decurrentibus, ab initio serum cruentum, deinde, sanguis purior fluidus aut spissior e pudendis effunditur.

Fluxus istiusmodi summopere differt quoad quantitatem cruoris evacuati et quoad durationis tempus. In calidis regionibus, uti in Africa, major est, et fere continuus, in frigidis, uti in Lapponia, minor et bis vel ter in anno tantum decurrit. Uberior est in illis quae potibus aromaticis et spirituosis abutuntur, diaetae lautae indulgent, atque vitam desidem trahunt, minor in debilibus, cacheticis, et quae in continuo vivunt corporis exercitio. Imminuitur hic fluxus sub quam pluribus circumstantiis uti sub aliarum secretionum augmento, sub reiteratis phlebotomiis, sub haemorrhagiis, atque aliis, quae vires vitales infringunt, sanguinisque massam imminuere valent. Relate ad ejus durationem, notandum est, quod plerumque in nostris regionibus a tribus usque ad octo circiter dies fluere solet. Tandem si naturali ordine profluvii decursus procedit, rursus serum

cruentum apparet, donec ex integro breviter evanescit.

Fere omnes medicae artis scriptores, ut omnia mala vitentur, quae in ignaris puellis ab inopinata catameniorum apparitione oriri possunt, rite suadent, quod illae, de hoc proximo naturae phaenomeno instrui debent, statim ac pubertatis aetatem attinxerit: deinde ante oculos ponendi sunt omnes morbi, qui illorum suppressioni nituntur. Tali ratione nec timore corripiuntur ad menstruationis prima indicia, nec incautae sunt sub ejus decursu. Inter omnes qui classico calamo de hoc pertractarunt argumento, mihi hinc liceat referre, quae celeberrimus Petrus Frank in suo Tractatu de *Politia medica* tradidit: sunt auctoris verba "Puellarum ignorantia quoad primam sanguinis menstrui apparitionem ut plurimum, praecipuam sistit causam nonnullarum adfectionum, quae in posterum manifestantur, ex eo quod nimius pudor ipsis minime sinit hanc (adparitionem) opportuno tempore revelare. Re quidem vera, quum jam haecce foeminei sexus mira phaenomena ignorerent, nec a provida matris, sociarumque sollicitudine fuerint edoctae, tum cum prima comparent signa, illico insigni metu agitantur, et illico fluxus retinetur. Haec repentina supressio gravia ipsarum saluti detrimenta affert, plures labuntur menses et anni, quin hujus rei debitam habeat curam, immo eisdem continuo in circumstantiis versantes, systematis nervei adaucta magis magisque sensibilitate atque erga stimulos externos organorum receptivitate, quotidie propriam conditionem deteriorem faciunt. Reapse pedetentim adpetitus deficit, primae labefactantur viae, insurgit ingens virium vitalium jactura, una cum quietis et desidiosae vitae desiderio, donec hisce omnibus vigentibus causis integra organorum compages pervertitur, dies, aegro animo ab ipsis traducuntur, fere deperditur sanitas, et uti infaustum consectarium, steri-

litas et humanae speciei degeneratio atque destructio progignuntur

Ex hisce vero liquide patet, quanta sit necessitas, ut parentum amor atque sollicitudo proprias doceant filias et tali pacto tantae obstabitur calamitati. Hisce omnibus praemissis, quum tredecim ipsae annorum aetatem pervenerint, a genitoribus sint certiores factae de proximis, quibus earum organismus subjicitur, mutationibus ne in tali rerum angustia ab extraneis consilium atque auxilium exposcant. Filiarum, procedit auctor, revocent attentionem ad hocce praestantissimum stadium, circumspectiones atque regulas ipsis observandas dictent earumdem coerceant desideria, mitigent animi ardorem, nonnullorum ciborum ac potuum spirituosorum servent illae observantiam, in aere puro ducant vitam, motibus propriis viribus adcomodatis indulgeant; summam habeant fidem in parentibus et intimi Medici sagacitate; quibus prima menstruationis phaenomena manifestabant ut innumera mala, quae a nimia verecundia promanant, evitari possint.

In posterum severe prohibeatur, ut nullam mulierculae atque obstetrices empyricam instituant curationem in puellis, quae amenorrhaea, dismenorrhaea, vel menostasia laborant, in hisce purgantia ac alia remedia adhibendo, in illis hirudines adplicando etc. Toto animi ardore haec omnia prohibeantur; illae sunt enim adfectiones, quae sub flore juventutis saepe saepius nostri pulchri sexus stamina obtruncant, quaeque a peritissimis in arte medica viris rationali methodo curari debent. Parentes autem haud culpa carent, si in tam praestanti re vel proprias neglexerint natas, vel remedia incongrua fuerint eisdem suppeditata, nec Medica Politia iners esse debet, si sub virentibus vitae annis conspicit puellam se victimam ignorantiae atque segnitiei praebere, dum a provida natura uti fecunda civium valentium mater procreabatur. „

Istiusmodi aurea praecepta Celeb. P. Frank in medium referre putavimus ut mensium mulierum dignitas earumque regularitatis pro tuenda puellarum salute necessitas melius elucescant. Si hi vero ad pubertatem retinentur, vel jam jam decurrentes supprimuntur, vel quoad quantitatem aut qualitatem peccant innumerae contingere videntur valetudinis laesiones. Atque praeprimis a menostasia aut amenorrhaea inducta, nostram postulat attentionem *Chlorosis*, quae quamvis ab aliis quoque adfectionibus sustineri possit, nihilo tamen secius, docente praecipue eximio equite Prof. Speranza, saepius tanquam causam proximam agnoscit perturbatam uteri functionem. Chlorosis in amenorrhoicis, dismenorrhoicis, aut menostasia detentis juvenibus peculiaribus dignoscitur characteribus: tota cutis superficies cereo suffunditur colore, et increscente morbo quoque flavescit, albuginea oculi tamen naturalem retinet colorem, appetitus imminuitur, vires universi corporis labantur, post levem motum et speciatim sub scalarum adscensione exoritur ingens pectoris anxietas, validissima cordis pulsatio, et vehemens totius organismi arteriarum ictus: ut plurimum excruciantur Chloroticae doloribus lumbaribus, qui propagantur ad uteri regionem una cum sensu ponderis ardorisque. functiones digestionis atque adsimilationis perventuntur et Alimenta acida ac musitata desiderantur, in sanguine globuli perfecti imminuuntur et ipse evadit magis albuminosos, minus coagulabilis, seroso principio scatens, unde decoloratio cutanea a nonnullis auctoribus depromitur. Non solum functiones vitam reproductivam spectantes, laeduntur quoque cerebrales: accedunt animi morositas, maestitia. melancholia, amor solitudinis, meditatio fere continua de earum sorte futura. Nobiles puellae prae villicis procul dubio ob educationem ob molliorem vitam solatiis nimium deditam, nisum habent in alium sexum, quotidie quaerunt objectum amatum, et sic infelici amore torquentur.

Sunt nonnulli casus in praxi in quibus ob imperfecto menstruationis munere juvenes et praesertim cacheticae, scrophulosae, albo profluvio genitalibus destillante, sub nomine *fluoris albi* aut *leuchorrhaeae* noto, detinentur Fluxus hujusmodi, qui sicuti nonnulli existimant pathologi, a lenta inflammatione membranae mucosae uteri ac vaginae sustentatur, est coloris albescentis aut viridescentis, odoris saepius nauseosi, aliquando ardens, puriformis, conglutinatus etc

Sed praeter adfectiones recensitas, longe aliae et quidem magni momenti a lunaris fluxus imminatione aut supressione presiliunt Ab hac unica fonte quandoque lumbagines arthralgiaeque pervicaces enascuntur, uteri viscerumque abdominalium acutae aut lentae phlogoses, eorumque obstructiones, vomitus rebellis atque dirissimae cholicae, venarum varicositates, cardio-angosteniae, unde totius corporis gravitas, anxietates praecordiales, cordis palpitationes, vasorumque ictus vehementes, dyspnaea gravis, syncops, vertigines, dolores capitis, somnia terrilica, convulsiones diversae hysterici ludi, chorea, epilepsia apoplexia, ipse atque aliae tum acutae tum chronicae adfectiones, quae omnes vel propter organorum cum utero consensum, vel propter sanguinis ad alia viscera affluxum, suam depromunt originem Quare nil mirandum, si ab una solummodo causa, tot et tam diversa morbosa phaenomena edi possunt, nil mirandum, si medicus in arte nostra peritissimus in faciei pallore, in oculis languidis, in cutis colore et ariditate, in puellarum tristitia, melancholia in cordis palpitatione, in respiratione anxia et difficili, in digestionis adsimilationisque turbis, in chorea, epilepsia etc pathologicam uteri legit conditionem, et causam proximam tam inter se discrepantium adfectionum in menstruationis laesione primo intuitu agnoscit.

Non est attamen credendum, quod tantum ame-

norrhaea et menostasia malorum catervam superius expositam juveni parant mulieri sunt et alia salutis discrimina, graviora quidem, quae gignuntur a catameniis abundantioribus et per hebdomadas duraturis, quaeque ejus vitam plus minusve minitantur. Reapse sub continuata metrorrhagia catameniali virium delapsus, pallor faciei, denutritio, asthenia recorrentia, lypothimia, syncops, tremores, convulsiones, hydropes, paralyses, febres depascentes in scenam veniunt.

Hisce breviter adumbratis relate ad praecipuas mutationes physiologicas et pathologicas, quae ad epocham pubertatis adnotantur, nostram praecipue vertendo attentionem ad menstruationis functionem, siculi omnibus solemnius puellarum organismi phaenomenon, priusquam oratiunculae nostrae vela retrahamus, pauca addere credimus de nonnullis quaestionibus medico-legalibus foeminarum pubertatem aspicientibus.

In primis quaestio habetur, in quanam vitae epocha puellae amplexibus venereis indulgere, generare et nuptui collocare possunt. Natura omnium rerum moderatium (sequimur opiniones Perillus Barzellotti) provida mater in homine ac in cunctis animalibus vitae, periodum statuit propriis distinctam characteribus, in qua instinctus organicus (vires vitales) eminenter evolutus, et moralis (anima, voluntas) nonnullarum actionum capax ad propagationis actum ipsa invitant atque impellunt. Periodus istiusmodi est pubertas, quae peculiaribus organismi mutationibus peculiaribusque signis alibi expositis arridet puellis, tunc nobis indicare valet, quod illae et concipere et conceptionis fructus in lucem edere possunt. Quapropter jura civilia latioribus pubertatis phaenomenis innisa hocce tempus ad contrahendum matrimonium idoneum decreverant. Et romana, quae ubi jura omnium gentium considerari merentur, quod mares post

annos quatordecim ad generandum abiles sint: jura canonica autem organismi evolutionem sequentia ante epocham a Romanis sancitam conjugium sinunt. Medici Politici denique, uti jura canonica, naturae legibus suffultis censent, ut nuptiae in puellis ante duodecimum annum celebrari possint, dummodo pubertatis aetas propter aequa et firma argumenta, ex gr. temperamentum, sanguinem, constitutionem corporis robustissimam, lautum vitae genus, habitudines peculiares etc. acceleretur.

Altera quaestio in eo ponitur, quod nempe si ad pubertatis epocham nonnulla in genitalibus externis dari possint conformationis vitia, quorum causa artis nostrae peritus summa cum certitudine definire valet, utrum sint puellae vel non vinculo jugali sociandae. Partes genitales ad copulam et fecundationem necessariae in foeminis sunt: vulva, vagina usque ad uterum aperta, hiatus oris uterini existentia, et haecce tantummodo medicorum examini subjiciuntur, haecce, uti ita dicam, constituunt organa coitui et speciei propagationi inservientia. Narrantur attamen in historiis medicis foeminarum exempla, in quibus osculum vaginale deficiebat, vel canalis vaginalis, priusquam ipse uterum recipiat, ita occludebatur, nec minimum quidem corpus ingrederetur, vel uteri hiatus a spuriis membranis, a fungositatibus, callositatibusque obliterabatur. Hujusmodi conformationis vitia realia vel simulata, sanabilia, vel insanabilia sunt, sed in quovis casu medicina, omnia remedia adhibere debet, priusquam ipsa insanabilia praedicet. In mulieribus ad coitum absolvendum requiritur, ut vagina usque ad osculum uteri adaperiatur, et exinde humor prolificus usque ad hoc deferatur. Interdum hiatus vaginae ab hymene robusto et fere cartilagineo, a tumoribus poliposis, fibrosis, a vaginae ipsius uterique prolapsu, ab erniis, similibusque adfectionibus, de quibus

omnibus ars usque adhuc superior evasit, claudebatur; et rarissimus tamen est casus in praxi suis praesidiis rebellis

Praeterea apud auctores sermo habetur de ductu vaginali usque ad uterum fere ex integro occluso, et sollummodo aderat augustissimus tubus, per quem quovis mense catamenia fluebant. Nihilominus in casibus istiusmodi Medicina ita omnes superavit difficultates, ut virga virilis a canali vaginali jam antea perclauso, accipiebatur, et foemina fuit fecunda et mater. Collum uteri in ulcus cancerosum mutatum, ejus hiatus a fungositatibus callositatibusque obliteratum inter morbos recensentur, qui juxta nonnullos medicos, connubio toto caelo obstabunt. Ast vero Medica ars, et Chirurgia praecipue, ut eosdem ad perfectam perduceret sanitatem quam plurima pericula nequibit instituere? Quapropter concludendum est, quod in foemina vitiis genitalibus inhaerentibus laboranti, in quibus aliqua etiamsi levis sanationis spes viget, minime in ipsa ad matrimonium contraendum extat absoluta impotentia, nec vitia istiusmodi concumbendi non causabunt nullitatem matrimonii, quamvis confestim post nuptias detecta fuissent, ex eo quod oportet, ut sint perpetua et penitus insanabilia.

THESES DEFENDENDAE

I.

In Apoplecticis, si sub primis curae diebus nullum obtinetur levamen, semper prognosis infausta.

II.

Uti Pleuritis, dari potest et Metritis rheumatica.

III.

Opium et vinum peculiari ac distincta pollent in organismo humano actione.

IV.

Homines prae foeminis in morbis meticulosi.

V.

Absque symptomatibus sensibilibus, conditio morbosa vigere potest.

VI.

Nullum remedium est absolute emenagogum, nullum anthelminticum.

18